



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Clerico percussore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

TIT. XXXIII. DE CLERICO PERCUSSORE. 293

c. an putatis. 13. dist. 86. nisi necessitate urgente. fac. c.
si nulla. 23. qu. 8.

Ex persona; Clericis omnibus : sed aliter iis, qui in dignitate sunt constituti, ut Episcopis; aliter reliquis.

Episcopis omnino, c. 1. dist. 34. ut & Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis; c. 1. hic. ubi Gloss. junct. c. miramur. de serv. non ordin. reliquis, tempore quo divina peragenda, c. 1. ne Cler. vel Mon. c. 1. & 2. hic. & si sit venatio clamosa, c. an putatis. dist. prohibetur : permittitur ex causa necessitatis, ut habeatur victus ; & interdum recreationis : modo venatio sit quieta, & raro fiat. *Gloss. in d. c. 1.*

Qui contra faxit : si Episcopus, tribus mensibus; si Presbyter, duobus mensibus à communione; si Diaconus vel Subdiaconus, arg. d. c. miramur. ab omni officio suspenditur; c. 1. hic. c. quorundam. dist. 34. si Monachus, & quidem Abbas, vel Prior, per annum à collatione beneficiorum: si aliis, per annum ab administratione, si quam habet, suspenditur ; si nullam habet, per annum ad administrationem aut beneficium obtainendum inhabilis redditur. *Clement. 1. §. porro. & §. si quis autem. de statu monach.* Reliqui, arbitrio Judicis, ita tamen ut vindictam præcedat trina monitio, puniuntur. *Ioan. Andr. in d. c. 1. hic.*

De Clerico percussore.

TIT. XXXIII.

Secundum Clericorum delictum est *Percusso.*

Ea est vel *Spiritualis*, cum Doctor sermone inutili infirmorum conscientiam percutit : c. sanè percussor. dist. 45. c. si rector. dist. 44. de qua hic non agitur. vel est *Corporalis*, & propriè dicta; cum flagris vel verberibus Clericus eum qui ipsi non subjectus, vel eum qui est subjectus, crudeliter cædit. c. praterea. hic.

Leviter enim, per alium Clericum, Episcopus, correctoris causâ, delinquentes Clericos tantum punire potest. c. cum beatus. dist. 45. c. ante omnia. dist. 35. & c. circumcelliones. 23. qu. 5. c. 1. 24. qu. 5.

Pœna percutientis Clerici est suspensio ab officio, &, nisi monitus se corrigit, degradatio. c. 1. hic.

Episcopus, qui, etiam in justitia, aliquem crudeliter cædi jussit; duobus mensibus ab Missarum administratione debet abstinere: c. 2. eod. si id fecerit, ut timeretur, ab officio deponi & repelliri. can. Episcopum. dist. 45. & per tot.

De Clerico maledico.

T I T. XXXIV.

Tertium delictum Clericorum est *Maledictum*: id est, cum quis asserit, alteri malum inesse, quod non inest; vel negat inesse bonum, quod inest.

Sunt ergo duæ maledicti species. altera *affirmativa*; veluti, *Tu es spurius, tu es latro.* altera *negativa*; veluti, *Tu non credis in Deum, tu non fungeris officio tuo.*

Utraque punitur pro qualitate delicti. c. 1. & 2. hic.

Clericus tamen maledicus, maximè Sacerdos, ad veniam postulandam, per sententiam excommunicationis, c. fin. 22. qu. 1. c. 3. 6. qu. 1. compellitur; si noluerit, degradatur, id hic est, suspenditur: *Gloss. in c. Clericus. 5. dist. 46.* nec unquam absque satisfactione ad officium revocatur. d. c. *Clericus. 5. dist. 46.*

Maledictum, cum in Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos confertur, *Blasphemia* propriè vocatur. c. 2. hic. c. non sunt. 54. 11. qu. 3.

Eius pœna Canonica olim erat, in Laicos excommunicatione, in Clericos depositio, c. si quis. 22. qu. 1. Cui alia conjuncta; c. 2. hic. ut Laici septem diebus dominicis præ foribus Ecclesiæ in conspectu populi recumbentes, ultimo illorum dierum Dominico, sine pallio & calceamentis, laqueo seu loro collo involuto & pendente, sedentes, non ante Ecclesiam ingredi paterentur, quam sex feriis in pane & aqua jejunassent, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecissent. Clericis autem publica pœnitentia remittitur,